

emporium Lusitanis digitum pæne videretur intendere. Sed quoniam commercii orientalis iterum jam incidit mentio, quod Africi maxime & Asiatici littoris navigatione constat; locus postulare videtur, ut de utroque littore breviter, quoad instituti operis ratio patitur, explicemus. Ab Olisipone præter Gaditanum fretum in meridiem navigantibus, ad lævam est Mauritania. inde magno ambitu curvantur littora per Autololas, & Ichthyophagos populos (ea regio Guinea est) trans Cancræ tropicum, ad usque Pagelungos Æquatori subjectos, & Agefymbam, qui antiquis noti orbis est terminus. hosce uno omnes vocabulo Hesperios Æthiops, sicuti Eeos, qui oppositam Africæ partem tenent, prisca cognominarunt. Dein, per longissima spatia, obliquo trans Æquatorem & Capricornum excursu, ora vastam in prominentiam cuneatur; id Bonæ spei (quod diximus) caput seu promontorium est. hinc rursus in Septentriones longissimo tractu per immanes & obscuri nominis populos Obios, & Cafres, & Madagascarem olim, nunc Divi Laurentii insulam, reflectitur littus ad nota jam antiquis promontoria Prasum & Aromata: quorum alterum hodie Mosambicum; alterum a Prasæ quingentis leucis & quinquaginta disjunctum, Guardafu vulgus appellat. is Africi littoris extremus in Orientem est limes. Inde præter duos inclytos sinus, Arabicum & Persicum, quibus in modum peninsulæ felix Arabia cingitur, rectus in eam regionem trajectus est, quæ, Indo & Gange duobus clarissimis inclusa fluminibus, India nominatur. In hac montes a Caucaaso ad Cori promontorium, quod Comorini caput incolæ vocant, leucas circiter quadringentas perpetuo in Austrum jugo porrecti, circumfuso Oceano ingentes oras efficiunt duas: quarum altera in Occidentem obversa, prænobiles urbes continet, Calecutum Malabarici regni caput, emporiumque nuper omnium frequentissimum, itemque Cocinum, Cananorem, Goam, aliasque complures: altera in ortum spectans, a Comorino tractu per Bengalæ fines, qua Ganges in Oceanum influit, perque Pegusia, & ejus tractus alia divissima regna (quam terram Ophir ac Tharsis quidam haud sane absurdis conjecturis existimant) desinit in Auream Chersonesum: qua in regione prænobile emporium Malaca visitur hodie. A Cori promontorio, ad Siculi freti similitudinem, exiguo admodum spatio avulsa cernitur insula Ceilanum: quam gravis auctor Joannes Barrius Lusitanus multis rationibus Taprobanam olim fuisse contendit. ab ea obliquus in Auream Chersonesum, & Chersoneso vicinam ingentem insulam Somatram cursus est; quam Geographorum vulgus Taprobanam putat. a Somatra porro ad nobilissimas insulas plurimasque, Javas majorem & minorem, Borneum, Bandam, & Molucas, & Lequios, & Japonios tenditur. itemque ad continentem oram Camboiæ, Ciampæ, Caucincinæ, ac Sinarum. ultra, Lusitanis incomperta navigatio est. Harum autem regionum pleræque, longe alio atque Africa terra situ ac feracitate, plurimis riguis, & sole cæterisque syderibus mire faventibus, in omnes mortalium usus deliciasque pro sua quæque natura varias fruges, metalla, odoramenta, plantas, lapillos, medicamina prope ad certamen effundunt. quæ paulo ante hanc memoriam, certis emporiis admodum vili coempta, Mahometani ferme Judæive institores, vel sinu Persico in Commagenem & Syriam, vel Arabico ad urbem Heroum Suezium, atque inde camelis Alexandriam convehant; Ægyptio Sultano, qui tum iis regionibus imperabat, pluribus locis persoluto portorio: quæ res Memphiticum æratium magnis quotannis

nis